



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Impius Infelix**

**Texier, Claude**

**Augustae Vindelicorum [u.a.], 1695**

3. Permittit ut liberi fiant parentibus pejores & vitiosiores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45950)

etiamsi, dico, peccatorem non puniat egestate, aut etiam prolis suæ morte: superest adhuc tertia, longè magis formidanda, vi cuius prolem permittit pejorem, & vitiis deteriori fieri propriis suis parentibus, de qua breviter, & paucis disfiniam.

Furiosa illa Medea apud Tragedum postquam rabioso æstu abrepta marito suo morbos, infamiam, bonorum jaçuram, exilium, mortem imprecata, paululum se continuit, ac conticuit; ad excogitanda adhuc diriora maledicta, tandem in ea prorupit vota, quibus petiit filios parentibus effici similes: *Quoq; non aliud queam pejus precari, Seneca in Me-*  
*liberos similes patri, similesq; matri.* Ecce maledictionem *dea.*  
 graviolem, quâ Deus impium coërcere potest: ipsam expressis item terminis Sapiens in medium profert: *Ne-*  
*quissimi filii eorum, maledicta creatura eorum, quoniam felix Sap. 3. 12.*  
*est & sterilis.* Sterilitatem, liberorum privationem, quam nos inter Divinas pœnas recensuimus, docet hîc Spiritus Sanctus fortunam quandam reproborum esse; eoquod ipsorum partus sint pessimi futuri, & cum omni posteritate maledictis abolendi. Deus in puniendâ malignâ illorum vitâ privabit ipsos, prout dixi, omnibus iis liberis, qui deberent pollere bonis qualitatibus, cumulabit econtrâ domos eorum non dico infantibus deformibus, surdastris, stupidis, insensatis, sed prodigis, temerariis, lusoribus, uno verbo vitiosis & perversis. Sicut enim promisit in Scriptura Deus probis parentibus ejusmodi progeniem, quæ ipsis sit futura solatium, corona, gaudium, delitiæ; *Erudi*  
*filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. Prov. 29. 17.*  
*... Filius sapiens latificat patrem.* Ita econtrario minatur reprobis, ipsorum fœtus parentibus fore dedecori, confusione, tormento, tortorum loco, qui illorum fata accele-

Ecl. 4. 8.

Ibid. 10.

rent, vel millenis vicibus præ amantitudine & dolore mori ante mortem cogant: *Filii abominationum sunt filii peccatorum. . . . De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.*

Vos minimè capere, ipsi fatemini, unde puero huic inclinationes adeò perversæ, genius ad malum tam proclivis, habitus in malo radicati, aversiones erga literas & pietatem, adq; id omne, quod hominem in mundo ad honestatem permovere valet. Fortassis mihi dicturi estis, id esse maledictioni Divinæ adscribendum. Hoc facile admittitur. Attendite, quomodo vixeritis, qui & quales sint vestri mores, & num allata Spiritûs Sancti verba in persona vestra adimpleantur.

Sap. 3. 12.

Neutiquam tamen accipienda sunt ista, ac si Deus vitioforum progenitorum sobolem pervertat, malignam reddat: completur enim hæc maledictio duplici modo, negativè sc. & permissivè. Negativè, eoquòd liberis eas non communicet gratias, quas alioquin concederet, si è stirpe, in pietate melius radicatâ, prodissent: dat quidem ipsis gratiarum tantum, quantum fatis est, sed non gratias suas electionis & favoris specialis. Id permissivè adhuc fit, quatenus permittit juventutem perniciosis parentum exemplis corrumpi, ac seduci: *Nequissimi filii eorum, maledicta creatura.* Patres, sapienter quidam è poëtis profanis pronuntiabat, sunt animæ suorum filiorum: anima est forma corporis, & parentes pariter formant, & animant suos infantes. Consequenter si pater, qui vices animæ supplet est malitiosus, scelestus: qualis debet esse filius? proles, notat Scriptura, sunt scintillæ è parentum sinu velut è foco profilientes, sequentes naturam ignis. Si pater est ignis terrestris, ignis sulphure aut bitumine mixtus,

mixtus, easdem terræ, sulphuris qualitates participabit  
scintillans filius, malignos sc. mores.

Clausulam imponat, qui & initium discursui dedit,  
Tertullianus. Sic parentes alloquitur ille: intensiorem  
vos liberis vestris impenditis amorem, quàm vobis ipsis.  
Si ergo amor, quem gerere debetis pro bono vestro tem-  
porali & æterno efficaciter vos non perurget ad detesta-  
tionem & fugam peccati, quod est jactura & ruina illius  
totalis; saltem eò vos stimulet amor, quo proles vestras  
amplectimini, desiderium, quo ardere vos oportet erga  
felicitatem earum temporaneam ac æternam, à vitio ab-  
strahat; siquidem hoc, ut intelleximus, sufficit ad male-  
dictionem, bonis, vitæ, moribus ipsarum invehendam.  
Sic vitam instituite, ut perfectè Deo obedientes, largam  
& longam benedictionum Divinarum seriem attrahere è  
cælo promereamini super vos & super posteros vestros;  
cum quibus pariter possidentes gratiam in vita ista,  
in altera unà simul perfruamini ejus  
gloria in cælis. Amen.

